



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Titulus IV. De Censuris in jure latis contra Moniales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA.

TITULUS IV.

De Censuris in jure latis contra Moniales.

CUM de Censuris, quæ Clericos, & alios Viros Religiosos ligant, suprà actum sit, & congruum & cohærens est, ut de censuris, & inhabilitatis, quæ fēminis Religiosis honores, & officia præpediunt, videamus; summatim tamen juxta institutum operis.

De Excommunicatione §. 1.

De excommunicat. contenta in Extravag. 1.
de simon.

EXCOMMUN. I.

S U M M A R I U M .

- 1 Referuntur verba extravag. 1. de simon.
- 2 Referuntur interpretationes DD. super intelligentia, & usū d. extravag. & n. 3. 4. & 5.
- 3 Bona Novitiae nolentis profiteri, vel mortuae antè professionem, sunt restituenda bæredi, non obstante contraria consuetudine.

ADNOTATIONES.

AD evitandum simoniæ crimen, quod occasione ingressus in Religionem cum fidelium scandalo, & damno committebatur, *Urbano IV.* in hac extravag. (pœnis in jure statutis, in suo robore relictis.) distictius inhibuit Superioribus Monasteriorum, tam marium, quam mulierum per hæc verba --- ne tam à ma-

ribus, quam à mulieribus volentibus ingredi eorum Religiones, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, seu loca, in eorundem personarum receptione, aut antè vel post illam, quoscunque pastus, prandia, scūcenas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seic quemvis pium alium usum depusata, vel deputanda, directè, vel indirectè petere, vel exigere quoquomodo præsumant, &c. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè, & spontè, & plena liberalitate omnique pactione cessante dare, vel offerre Ecclesias, Monasteriis, Prioratibus, & dominibus hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licet recepturi. Nos enim qui seus egerint, si sint singulares personæ, tam dantes, quam accipientes hujusmodi, excommunicationis, si Capitulum, vel Conventus fuerit, suspensionis sententis eo ipso decernimus subjacere: à quibus præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Haec ibi.

In interpretanda Constitutione hac, si essent attendenda DD. modernorum dicta, hodie otiosa penitus redderetur: plures enim corum dicunt, quod recipientes pro sustentatione ingressuri non incurvant,

rant censuram, & hos refert, & sequitur Bonac. de excomm. in particular. disput. 2. punc. 29. num. 4. alii autem dicunt, quod talis opinio potest salvari, quando Monasterium est inops, prout vidimus suprà in tit. de interdict. form. ult. alii dicunt, quod ad incurram hanc censuram, requiritur, ut datio, vel receptio fiat ex pacto pro ingressu in Religionem, quos sequitur Pelizar. de monial. cap. 8. num. 17. & tamen ex verbis extrav. supra recitatis hoc non percipitur: quia Pontifex non dicit - pro earundem personarum receptione, prout necessarium esset, quod diceret, ad inducendam hanc causam finalem, sed dicit, quod nihil illorum, quae ibi expressa fuerunt recipiatur -- in earundem personarum receptione: ex qua dictione inducitur, & indicatur tempus, & occasio potius, quam causa finalis: adeò ut mens Legislatoris fuerit, quod nullo modo ex pacto, recipi possint prandia, dona, & jocalia occasione ingressus in Religionem, quamvis non reciperentur pro illius pretio, ut patet ad sensum: alias enim inutilis prorius fuisse provisio extravagantis, & nihil amplius disponeret, quod jus commune disponit, tot. tit. de simon. alii dicunt quod censura non incurritur, nisi sequatur professio recepti, seu receptae, & hos sequitur cum Bonaccin. Barb. in hac extravag. n. 3. & tamen Pontifex actum completum professionis non contemplavit, sed receptionis, ut patet ibi -- in earundem personarum receptione, aut ante, vel post illam, & sic ad incurram hanc censuram sufficit, quod dona, & alia suprà prohibita fuerint data, & recepta tempore ingressus, & acceptanceis, & receptionis, qui est actus sub censura prohibitus, & in ea consummatus, ut ipse Bonacc. sic contrarius dicit in censur. bull. Cenœ disp. 2. q. 2. pun. 4. n. 3. nec expectatur professio recepti, cum Censura haec non maneat in suspenso, prout maneret cum absurdo, si assertum Barboæ, & Bonaccinæ verum esset.

4 Alii demum laxiores ajunt, quod haec Extravag. vel non fuit usu recepta, vel in desuetudinem abiit, & hos referunt; sed non sequuntur Bonacc. primo loco cit. & Donat. prax. rer. regul. tom. 4. tract. 12. q. 21. num. 1. quod est assertum erroneum,

& prorsus insubsistens: quia cum reperiatur inserta in Sexto Decretalium, & solemniter publicata, habet vim legis, & sententia contrà eam lata est ipso iure nulla, ut advertit Medic. tom. 1. tit. de legib. & stat. part. 1. quest. 3. num. 20. imo cum in Conflit. 40. Alexandri Papæ VII. & in Edictis Innoc. XI. anno 1676. & 1684. & Innoc. XII. anno 1692. in Urbe publicatis, prohibeantur expresse monialibus ea omnia, quae continentur in hac extravagante, sub pena privationum officiorum, vocis activæ, & passivæ ipso facto incurris, videtur tacite innovata.

Quare Ordinarii locorum in eorum Diœcesibus, curare debet exemplo Episcopi Urbis, & Orbis, quod moniales, servent dispositionem hujus extravagantis, & ad tollendos abusus, & removenda illicita, quæ turpe lucrum sapient, & modestiae religiosæ adversantur, ipsi taxent expensas, quae necessariae sunt in receptione habitus, & tempore professionis, prout monent Gavant. in verb. monialium professio n. 25. Tambur. de jure Abbatiss. disp. 6. quest. 1. num. 3. Donat. prax. rer. regul. tom. 4. tr. 12. d. quest. 21. num. 3. & ita cessabunt scandala, & pericula incursum censurarum.

) Item quod in casu egressus alicujus Novitiae nolentis profiteri, vel intra annum probationis decedentis, bona omnia, quæ tempore ingressus detulit, seu Dotem jam solutam sub pena anathematis hæredibus Novitiae restituantur, ut Concil. Trid. jubet cap. 16. sess. 25. de regul. non obstante consuetudine, seu usu contrario non restituendi ut Sac. Congr. Concilii respondit Episcopo Eugubino 26. Nov. 1650. hb. de cis. 19. pag. 94.

De excommunic. contenta in Clement. att. tendentes de stat. monac.

E X C O M . I I .

S U M M A R I U M .

1 Referuntur verba Clementinæ att. tendentes de stat. monac.

2 Moniales impedientes munus Visitas

110-

- tionis, excommunicationem ipso jure incurunt.
- 3 Intellige si prius fuerint monitae ut defiserent.
- 4 Datur formula monitionis, & num. 5.
- 6 Moniales non defistentes ab impedimento, non sunt excommunicandæ collectivè, sed nominatim, cum clausula hic data.
- 7 Si omnes Moniales sint culpabiles, quomodo sint denunciandæ, ostenditur.

ADNOTATIONES.

DE hac censura aliqua dicta sunt super in tit. de excom. ad form. 37. §. Si autem ageretur: hic autem ibi prætermissa addenda erunt. Textus igitur in §. Ultimo hæc habet -- si qui vero Visitatores ipsos (idest Monialium) in præmissis impedire præsumperint, seu aliquo præmissorum, nisi moniti respiciant, ipso facto excommunicationis sententia se noverint incurios, privilegiis, statutis, & consue-

tudinibus quibuslibet in contrarium maximè valituris.

Ex hac generali textus locutione, non tantum Viri cujuscunque conditionis Visitatores impeditentes, sed & ipsæ moniales comprehenduntur, & pœnæ excommunicationis, si Visitatorum munus impediant subjiciuntur, ut tradunt communiter, Bonaccin. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 8. Barb. in dict. Clem. attendentes num. 6. Pelizar. de monial. c. 8. n. 29. Tambur. de jur. Abbatis. disp. 14. quæst. 8. n. 4.

Et licet hæc censura sit latæ sententiæ, non tamen incurritur, statim ac fuerit oppositum Visitationi impedimentum: sed requiritur, quod Visitator prius moneat impeditentes, ut desistant ab impedimento, qui si non desistant statim incurrit, glof. in dict. clem. verb. impedire Navar. in manual. cap. 27. num. 140. Bonac. loco cit. num. 4. Pelizar. de monial. cap. 10. qu. II. num. 81. Tambur. de jur. Abbatis. disp. 14. quæst. 8. nu. 3. monitio autem sic poterit concipi.

FORMULA MONITIONIS.

Moneantur infra scripti in termino peremptorio trium dierum, quorum primus eis assignatur ad desistendum ab impedimentoo præstito Visitationi Monasterii monialium N. & impedire cessandum: secundus, quatenus ab impedimentoo non cessent, ad dicendum causam quarè declarari, & denunciari non debeat excommunicati: & tertius ad videndum contrà se ipsos decerni, & relaxari Cedulones, eis amplius non monitis.

N. Visitator.

Monendi.

N. N.
N. N.
N. N.

N. Actuarius.

Et generaliter omnes alii, qui impedimentum præstiterunt, vel ut daretur, consensum, aut auxilium dederunt.

Si impeditentes Visitationem, Visitatori noti sint, eos moneat judicialiter, & specialiter ut suprà: at si certò si non constet, qui sint, sufficit, quod ante declaracionem moneat generaliter per affixio-

nem, ut volunt glof. & DD. mox suprà citati: si autem impedimentum proveniat ex parte Monialium, & moneri personaliter non sint, monendæ erunt ad desistendum, & impedire cessandum, genera-

rati-

raliter monitione vernacula lingua concepta per affixionem ad Valvas Clausuræ.

6. Et si Visitator, quia Moniales impedi-
re non cessant, cogatur ad declaratorium
devenire, non debet illas excommunicata-
tas declarare collectivè, v. g. dicendo -- de-
clarantur, & denunciantur excommunicatae
Moniales Monasterii N. quia si ita declararet,
peccaret in textum c. romana de excom. in
6. ubi sic dicitur --- in Universitatem, vel
Collegium, preferri excommunicationis senten-
tiam penitus prohibemus: volentes ani-
marum periculum vitare: quod exinde sequi
posset, cum nonnunquam contingeret inno-
xiros hujusmodi sententia irretiri: sed in il-
los dumtaxat de Collegio, vel Universitate,
quos culpabiles esse constiterit promulgetur.
Ideoque illas tantum Moniales quas sibi
constiterit esse culpabiles nominatim de-
nunciare debet, ut citatus textus præ-
cipit, & præscribit: at si dubitat ratio-
nabiliter præter nominatim expressas,
adese alias culpabiles, poterit addere in
declaratoria, & in Cedulone hanc clau-
sulam --- Nec non declarantur, & denun-
ciantur excommunicatae omnes, & singulæ
alii Moniales quæ impedimentum, ut supra
Visitationi nostræ dederunt: vel ut ab aliis
daretur consensum, consilium, & auxilium
præstiterunt, & à Nobis monitæ illud re-
movere, revocare, & mandatis nostris pa-
rere noluerunt; Nam adhibita hac caute-
la, non contingit innocentes de Collegio
excommunicari, ut docet Sayr. de censur.
lib. 1. cap. 8. n. 18.

Quod si daretur casus, ut omnes Mo-
niales Monasterii visitandi, essent culpa-
biles, & hoc Visitatori juridicè constaret,
tunc posset fieri denunciatio excommuni-
cationis hoc modo -- declarantur, & de-
nunciantur excommunicatae Abbatissa, De-
canæ, & omnes alii Moniales Monasterii
N. quæ mandatis nostris, in modo verius Apo-
stolicis rebellaverunt, ut tenent Sayr. de
censur. lib. 1. cap. 8. d. n. 18. in fin. & alii ab
eo allegati.

De excommunicat. contenta in cap. 18.
sess. 25. de regul. Concil. Trid.

EXCOMMUNI. III.

S U M M A R I U M .

- 1 Moniales, quæ dant suffragium scien-
ter, ut recipiatur Puella, quæ co-
dè suscipit habitum, excommuni-
cationem incurvunt.
- 2 Monialis, quæ auxilium, & favorem
præstiterit receptioni Pueræ coadæ,
est ineligibilis ad officium Abbatis-
satus.
- 3 Monialis excommunicata denunciata,
potest communicare cum aliis Mo-
nialibus in necessariis ad communem
usum.
- 4 Monialis diffamata de auxilio, & co-
peratione, pro receptione pueræ
invite, coadæ, potest privari ab
Episcopo ex informata conscientia,
voce adiva, & passiva.

A D N O T A T I O N E S .

SUb hac censura, de qua jam vidimus¹
suprà in tit. de excom. ad form. 33.
comprehenduntur etiam Moniales: quia
non solum anathemati subjiciuntur hi,
qui cogunt Virgines, ad ingressum in
Religionem, vel retrahunt ab illa; sed
etiam alii, qui scienter consilium, auxilium,
aut favorem dedesunt: ac illi, qui
scientes Virginem non sponte habitum
suscipere, vel professionem emittere con-
sentum, & auctoritatem interposuerunt,
& hoc propriè cadit in moniales, quæ
dant suffragium pro admissione, Tam-
bur. de jur. Abbatiss. disput. 3. quæst. 1.
num. 8. 9. & 10. Pelizar. de Monial. cap. 8.
quæst. 12. n. 20.

Ut autem de actionibus, per quas ta-
lis excommunicatio incurrit, Moniales
sint edictæ, & de ea ignorantiam allega-
re non valeant, debet Ordinarius uti re-
medio, & cautela à me tradita, to. 1. tit.
11. ad for. 7. Et si sibi judicialiter constet
aliquam ex Monialibus hanc excommu-
nicata-

ADNOTATIONES.

nicationem incurrisse, poterit illam ad exemplum denunciare Collegio Monialium, quia talis monialis est ineligibilis ad officium Abbatissatus ut dicit Passer. de elect. c. 40. n. 77. & per denunciationem non tollitur Superioris libertas jubendi, nec aliis Monialibus, quin possint cum denunciata (præterquam in Divinis) communicare in necessariis pertinentibus ad communem usum Communitatis, Sayr. de censur. lib. 2. c. 14. num. 18. & 21. At si non iuridice de crimine, sed extrajudicia-
liter certitudine morali fama loquatur, tunc ex informata conscientia, & vigore facultatis Concilii, de qua suprà in tit. de suspensi. ad form. 6. eam à voce activa, & passiva suspendet, aliove modo omnino puniat: quia peccatum grave est.

De excommunic. contenta in c. ut periculosa ne cleric. vel monac. in 6.

EXCOMMUN. IV.

SUMMARIUM.

- 1 Referuntur verba c. ut periculosa, né cleric. vel monac. in 6.
- 2 Omnes Religiosi, tam mares, quam feminæ tenentur assidue deferre habitum Religionis.
- 3 Religiosus, vel Religiosa deponens habitum intra claustra, licet peccet, non tamen excommunicationem incurrit.
- 4 Religiosus, qui deponit habitum, ut ludat, fugiat, vel exeat à Claustro ad malum finem, vel illum occultat, an, & quando censuram textus incurrit, ostenditur.
- 5 Religiosus, qui habet indultum transiunt ad aliam Religionem, non potest transfere ad laxiorem.
- 6 Superior Regularium, non potest concedere licentiam, ut Religiosus, habitum dimittat, vel occulte deferat.
- 7 Ordinariorum locorum, non debent concedere licentiam Monialibus, ut recreationis gratia, habitum deponant professionis.

IN hoc textu sic dicitur --- *Ut periculosa t
Religiosis evagandi materia subtrahatur
distinctius inhibemus, nè de cætero aliquis
quamcumque Religionem tacite, vel expre-
sè professus, in scholis, vel alibi temere
habitum Religionis suæ dimittat, &c. Si
quis autem horum temerarius violator exti-
terit, excommunicationis incurrat senten-
tiam ipso facto.*

Sub hac textus dispositione, & censu-
ra, comprehenduntur omnes Religiosi,
five Viri, five feminæ, qui emiserunt tria
vota substantialia in aliqua Religione ap-
probata, ut inquit Passer. de stat. hom.
tom. 3. q. 189. art. 8. inspect. 3. n. 320. Reli-
giosus enim professus, tenetur portare af-
fiduè habitum suæ professionis, & præser-
tim monialis, ut cavetur expressè in c. San-
dimontialis 24. dist. 23. & inc. vidua 20. q.
1. Don. prax. rer. reg. to. 1. p. 2. tr. 6. q. 5.

Ad hanc autem censuram incuren-
dam, non sufficit quælibet habitus dimis-
sio, sed requiritur, quod sit temeraria,
hoc est sine rationabili causa, & apta ad
periculose vagandum extrà Claustra, ut
ex relatis verbis textus percipitur, & ad-
vertit quoque Donat. loco mox citato qu. 6.
& 9. Et hinc est, quod Religiosus, seu
Religiosa, qui vel quæ habitum Religio-
nis intrà Claustra dimittit, etiam sine ra-
tionabili causa, licet peccet, aut graviter,
aut leviter, juxta facti circumstantias &
posit juxtâ statuta Ordinis puniri, non
tamen excommunicationem incurrit, quia
cessat periculum vagationis: Donat. loco
cit. q. 9. Passer. de stat. hom. tom. 3. d. qu.
189. d. art. 8. insp. 3. n. 323.

Excusatur ulteriùs Religiosus Vir ab
incurso hujus censuræ, si habitum dimis-
sio ut saltet, aut ludat, vel ad majorem
delectationem in malo ad breve tempus,
item si dimittit habitum, ut fugiat & re-
currat ad Superiorem, quandò est grava-
tus injustè: non tamen excusatetur si di-
mitteret habitum religionis, & alium as-
sumeret, ut posset occulte à Claustro
egredi ad malum finem, etiam si esset ad
breve tempus, quia talis dimissio est apta
ad pessime vagandum: vel si non dimis-
teret,

teret, temerè occultaret: nam licet occultatio physicè non sit dimissio habitus, tamen moraliter, & æquivalenter, & quantum ad effectum, quem lex prohibet, idem sunt habitum occultare, & dimittere, ut hæc probat Passerin. fuso calamo de more, loco citato n. 342. 348. & seqq. 5. Qui autem haberet Indultum transfundi ad aliam Religionem, non posset habitum primæ Religionis dimittere, & transire ad laxiorem contrà dispositionem Concilii c. 19. sess. 25. alias ad hanc transiens nulliter faceret, ut censuit, S. Cong. Concilii in Cajetana 24. Martii 1703.

6 Quare est notandum, quod cum habitus dimissio secundum se, & ex genere suo sit prohibita de jure, Superior Religionis, non potest directè dare licentiam Religiosis dimittendi habitum extrà Monasterium, quia Prælatus inferior Papa in jure communī non dispensat, Passerin. ibid. num. 358. imò Concil. Trid. c. 19. sess. 25. de regulari prohibet expresse, né detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum Religionis.

7 Et ex his quoque insertur, quod locorum Ordinarii, aliè Prælati Regulares, non debent dare licentiam explicitam Monialibus subjectis, tempore baccanaliū dimittendi recreationis prætextu habitum Religiosum, & assumendi aliud sacerularem præsertim Virilem, ut S. Congreg. Episc. rescriptis Episcopo Ferrarien. 27. Aprilis 1604. licet enim aliquando tolerari possit, quod intrà Clasuram representetur aliqua Historia Sacra, & quod Moniales in ea agant personam fictam: hæc tamen permitti debent raro, & conniventer, non tamen approbatione speciali, & individua, prout dixi, de licentia deferendi sclopum venatorium respectu ad Clericos.

De excommunicat. contenta in Clem. I.
de sent. excom.

E X C O M . V.

DE hac censura, quæ afficit etiam moniales interdictum violantes, ut dicit Pelizar. de monial. c. 8. qu. 14. nu. 22. actum fuit suprà in tit. de excom. ad form.

42. ideoque applicando activa passivis, ad ibi dicta recurrere.

De excommunicat. contenta in Extravag.
Pauli II. Ambitiose de reb. Eccles.
non alienand.

E X C O M M U N . VI.

S U M M A R I U M .

- 1 Referuntur verba Extravag. ambitiose de reb. Eccles. non alien.
- 2 Censura Extravag. ambitiose, non effugitur prætextu non usus.
- 3 Dicte. Si quis masculinum, & femininum genus compræliendit.
- 4 Que dicuntur de Monachis, intelliguntur etiam de Monialibus, ubi materia æquè convenit: Mulieribus Religiosis.
- 5 Moniales subsunt pénis latis iure communī contrà Regulares, aut Ecclesiasticos, nisi expresse exceptiantur.

A D N O T A T I O N E S .

CENSURA excommunicat. contenta in hac extravag. fertur his verbis: Si quis autem contra hujus nostræ probationis seriem de bonis, & rebus eiusdem (id est Ecclesiarum, & Monasteriorum) quicquam alienare præsumperit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infundatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris, vel momenti: & tam qui alienat, quamvis, qui alienatas res, & bona prædicta reperit, sententiam excommunicationis incurrit.

De hac egri par. 2. tit. 14. ad form. 4. ubi probatum remanet, quod ab illius incursu non excusat prætextus non usus extravagantis, & quod in praxi non absolvitur, nisi à Sede Apostolica, quamvis non sit reservata: quia hodiè alienantes non solum incurrit hanc excommunicationem sed etiam aliam contentam in c. 11. sess. 22. de ref. Conc. Trid. quæ Papæ reservata est.

Hanc autem censuram incurtere etiam moniales, si bona Monasterii alienent sine beneplacito, non dubitatur, tum quia.

quia dictio illa -- si quis in dispositione legis contenta, masculinum, & femininum sexum comprehendit, Bon. de censur. in commun. dis p. 2. q. 4. punct. 2. n. 3. Gaball. ad Constat. Egid. lib. 4. c. 55. n. 1. cum aliis pluribus apud Barbos. d. 373. n. 2. etiam si materia sit odiosa, & penalisa, Fagnan. in c. ut filii n. 39. de fil. presbyt. tum quia, quæ dicuntur de monachis, intelligenda sunt etiam de monialibus, ubi materia æque convenit mulieribus Religiosis, Fagnan. loc. cit. n. 40. & 41. Peliz. de monial. d. cap. 8. q. 18. n. 17. Nicol. lucubr. civil. lib. 3. tit. 1. nu. 88. tum demum quia Moniales sub sunt penis indefinite latis jure communi contrâ Regulares, aut Ecclesiasticos, nisi expresse excipientur, ut tradunt Graff. consil. 22. n. 2. 3. 4. de sent. excomm. part. 1. ubi in specie de pena excommunicationis, & aliis quos refert, & sequitur Pelizar. d. c. 8. n. 1. & 2. Ideoque nè Abbatissæ, & Capitula Monialium de hac censura ignorantiam allegare valeant, erunt in Synodo admonenda.

*De excommunicat. ferenda contenta in c.
secundum instituta ne cler.
vel monac.*

EX COM. VII.

S U M M A R I U M .

- 1 Moniales subduntur penis contrâ Negotiatores jure communi infligendis.
- 2 Datur formula monitionis facienda contra Moniales Negotiatrixes.
- 3 Clerici, & Religiosi non solum per se ipsos negotiari prohibentur, sed etiam per alios.
- 4 Moniales Negotiatrixes, suaviter ad bonam frugem reduci debent, & ubi charitas non prodest, penis coercendæ sunt.
- 5 Clerici, & Moniales Moniti in Synodo ut cessent, & abstineant ab illicitis negotiationibus, si non pereant, possunt puniri pena comminata absque alia monitione.
- 6 Ignorantia Constitutionis Synodalnis in loco ubi fuit publicata, non est allegabilis.

ADNOTATIONES.

D E Censuris, & penis infligendis contra Clericos sacerdotes, & Regulares Negotiatores, & quibus etiam Moniales subjiciuntur: Pelizar. d. c. 8. n. 31. egimus supra in tit. de suspensi. ad form. 8. Quare si haec videntur illicitæ negotiacioni, erunt monendæ, prout ibi notavi.

Ad se abstinentiam à negotiacione illicita sub pena privationis Veli, nec non vocis activæ, & passivæ, & alti arbitrio, juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & si Negotiatrix sit Abbatissa, erit admonenda sub pena suspensionis, & depositionis ab Officio. Quod si monitæ ab illicita negotiacione non desistant, erunt gradatim puniendæ, scilicet, primo loco voce, secundo loco velo, & Eucharistia privandæ, & tertio loco etiam excommunicandæ: & hoc non solum quando per se ipsas negotiantur; sed etiam quando hoc faciunt per alios, quia Clericis, & Religiosis prohibetur, ut nec per alios possint negotiari, ut colligitur ex cap. consequens dist. 88. quem perpendi loco suprà citato, & advertit etiam contraria rejectis, Pafserin. de stat. bom. tom. 2. quæst. 187. art. 2. num. 210. ubi firmat, culpam incurre Religiosum, qui negotiatur per alium, & in eo habere locum poenas, quæ in Negotiatores contumacem latæ sunt per sacros canones.

Antequam tamen Moniales negotiatrixes juridicè puniantur, adhibenda erunt remedia suaviora, id est hortationes, & monita Patrum Spiritualium, & si ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter exposcant, Ordinarius paternum aperiat finum, viamque ad penitentiam sternat faciliorem: at ubi charitas Pastoralis non prodest, non pareat abscessio, ut monit Leo Papa in c. illud sanè 24. q. 3.

Providè igitur Ordinarius agendo, moneat in Synodo tam Clericos, quam Moniales, ut abstineant ab exercitiis, & negotiationibus illicitis sub pena suspensionis à Divinis, & privationis vocis activæ, & passivæ respectivæ, & aliis arbitrio; tale enim statutum in hac deli-
cti

Et specie , habet vim trinæ monitionis, ut probant relati à Passerin. *de stat. hom. to 2. qu. 187. art. 2. n. 224. vers. Prælatus enim.* Ideoque si Synodo non parerent , posset absque alia monitione contra delinquentes procedere , & eos punire , cum ignorantia Synodalnis statuti non sit allegabilis, dum in loco fuerit publicatum , Graff. dec. aur. par. 1. lib. 4. c. 9. num. 15. Tusch. litt. I concl. 20. n. 22.

De excommunicat. contenta in c. si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.

EXCOMMUNICAT. VIII.

S U M M A R I U M .

- 1 *Moniales se invicem , vel Conversas , vel Clericos percutientes , censuram Canonis , si quis suadente 17. qu. 4. incurrit .*
- 2 *Moniales incurse in censuram d. canonis , ab Episcopo absolvuntur , quamvis percussio sit enormis .*
- 3 *Monialis , quæ passa est se violari , si procuret abortum , an censuram canonis , si quis suadente incurrit , ostenditur , & n. 5.*
- 4 *Clericus , qui animo irato , & injuriosè percutit se ipsum d. censuram incurrit .*

A D N O T A T I O N E S .

DE hac censura actum fuit suprà in *tit. de excom. ad for. 1.* in quam moniales se invicem , vel Conversas , aut Clericos percutientes incurrint : quia sub nomine Monachi comprehenduntur ad hunc effectum omnes Religiosi utriusque sexus , etiamsi adhuc sint Novitii , c. non est de sent. excom. Eccl. Religioso 21. §. Quamvis eod. tit. in 6. Bellet. disq. cler. par. 1. de favor. cler. can. §. 1. n. 31. & 35. Pirhing. in jus can. I. 5. tit. 39. n. 49. & 50. possunt tamen premissis salutaribus penitentiis magis , & minus gravibus juxta percussionis qualitatem , ab Episcopo absolvvi , etiamsi percussio esset enormis , c. de monialibus 33. de sent. excom. Bellet. loco cit. §. 3. n. 4. ubi facultatem hanc ampliat ad Moniales exemptas .

Dubium hic oriri potest , scilicet , an Monialis , quæ se violari passa est , & postea potionē pharaci , aut scissione venæ , procurat proprium concepti foetus abortum , in excommunicationem hujus canonis incidat ? Pelizar. super dubium , hoc refert in d. c. 8. n. 34. vers. addo sententiam Cajetani putantis , non incurrere , & aliorum DD. qui contrariam sententiam affirmativam sustinent , quam ipse vocat probabiliorem . Ego autem teneo , quod opinio Cajetani possit sustineri : quia licet Clericus , qui animo irato , & injuriosè percutit se ipsum , hanc excommunicationem incurrat , ut de magis communī volunt Barbos. in e. contingit 36. de sent. excom. Bellet. disq. cler. de fav. cler. can. §. 1. num. 14. Bonac. de censur. in commun. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. num. 7. adhuc tamen in isto casu talis maxima in se ipsam injectio , non videtur temeraria , & injuriosa , cum non proveniat ex ira , vel odio vitæ , ut requirunt DD. citati , sed fit ad defensionem proprii honoris , ad vindictam infamiam . Quare sicuti pro defensione vitæ licitum est clericum aggressorem repercutere , & etiam occidere sine incurso excommunicationis , ut suprà suo loco probatum fuit : ita ad tuendum honorem , qui est defendendus sicut vita , ut ait Medic. tom. 2. tract. de Opusc. opusc. 3. num. 19. poterit Monialis vénam scindere , & fœtum etiam animatum , qui honorem vult tollere , interficere absque excommunicationis hujus canonis incursu (quidquid sit de peccato , quod certum est incurri : & quidquid sit an aliam Censuram contentam in Bulla Sixti V. 87 incurrat , de qua affirmit Graff. dec. aur. par. 1. lib. 5. cap. 63. n. 18.) quia infamia propria in hac re gravi æquiparatur morti , & præponitur cuicunque præcepto juris positivi . Medic. ibid. n. 19. & de regular. jur. par. 2. reg. 1. num. 50. & in punto Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. n. 153. limit. 22.

De

De excommunic. contenta in Bulla Pii V.

8. §. Decori Bullar. tom. 2.

pag. 185.

EX COM. IX.

S U M M A R I U M .

- 1 Moniales egredientes clausuram injūsiōe, excommunicationem Papae reservatam incurront.
- 2 Qui recipiunt, & comitantur Moniales egressas, an, & quando excusentur ab incursu censurarum, offendit.
- 3 Publica egressio Monialium à clausura à solo Papa, occulta verò ab Episcopo absolvitur.
- 4 Ordinarii locorum in quibus aliis casibus præter expressos in Bulla Pii V. concedere possint licentiam egressus à clausura, offendit.

A D N O T A T I O N E S .

Moniales indebitè egredientes Clau-
suram proprii Monasterii, non so-
lùm ipso factò ab illo alia Judicis declara-
tione incurront excommunicationem Pa-
pæ reservatam in hac Constitutione, sed
etiam ejus vigore, remanent privatæ Di-
gnitatibus, Officiis, & administrationi-
bus, quæ anteā obtinebant, & fiunt inha-
biles ad obtainenda, quinimmo iisdem pē-
nis subjiciuntur Episcopi, & alii Prælati
Regulares, qui sine justa causa ibi expref-
sa, dant licentiam Monialibus exēundi,
necnon ii, qui Moniales injūsiōe egressas
comitantur, aut recipiunt, quamvis quo
ad hos Bonaccin. de clausur. quæst. 1. pun.
4. num. 5. teneat, quod hanc censuram non
incurrant, si causa urbanitatis, vel amici-
tiae, vel honoris, vel consanguinitatis,
Monialem illicite egressam, vel recipiunt,
vel comitantur, dummodò illius delicto
non faveant, & Bonaccin. sequitur Peliz-
zar. de Monial. cap. 5. sect. 2. num. 76. & fa-
vet quodammodo Donat. prax. rer. regul.
tom. 4. tract. 4. quæst. 8. num. 13. ubi sic ait:
tamē excipiuntur personæ, quæ illas reci-
piunt, ob urgentem necessitatem, vel co-
mitantur ad bonum finem, nempe, ut ea-
rum honori, & casuati consulant, aut hor-
Monacel. Formul. Pars III.

tentur redire, quia sic recipientes non pec-
cant, nec dicuntur cooperari peccato præ-
dictarum, Ec. Nam quamvis Hæreticorum
receptores, & fautores sint excommunicati,
excommunicatione Bullæ Cœnæ, excipiun-
tur tamen, qui hæreticos recipiunt non ut
hæreticos, sed ut amicos, vel cognatos,
aut ut egentes virtæ subsidij, ut mirificè di-
cit Cajetan. Ec. quod si habet locum in pec-
cato hæresi, quod extat peccatorum om-
nium prævissimum, quanto magis debet pro-
cedere in casu de quo agitur, Ec. quamquam
Navar. in Commentar. de regular. num. 51.
illos tantum excusat, qui illas recipierent,
aut comitarentur in extrema vel gravi
necessitate.

Quando violatio Clauſuræ, sive egeſ-
ſio Monialium est publica, nemo præter
Papam, vel habentem ab eo facultatem
ab hac excommunicatione absolvere po-
test, Bonaccin. loco cit. punct. 5. num. 1. si
verò egeſſio eſſet occulta, Episcopus vi-
gore facultatis ſibi à Concilio Trident.
ſeff. 24. c. 6. tributæ poſſet absolvere, Do-
nat. tom. 4. tract. 4. d. quæſt. 8. num. 7. ubi
dat concordantes. Fagn. tamen in c. dile-
ctus de temp. ordinat. n. 32. & 33. teſtatur,
Sac. Congreg. declarafſe hanc facultatem
Epifcopo fuſſe ablatam, etiam in caſu oc-
culto, & in c. quoniam num. 30. de conſit. &
idem tenet Gallemart. collect. in Concil.
cap. 6. ſeff. 24. de reform. num. 7. ver. fin.
Passerin. de elect. c. 26. num. 45.

An autem licentia egressus poſſit Mo-
nialibus ab Ordinario concedi, non fo-
lùm in casibus in hac Constitut. expressis,
ſcilicet, magni incendii, lepræ, aut Epi-
demia, sed etiam aliis casibus, in qui-
bus militat eadem ratio; jam dixi par. 1.
tit. 7. ad form. 1. num. 4. & par. 2. tit. 15.
ad form. 15. num. 15. ubi ex reſponſione
Sac. Congreg. Epifcop. & Regular. oſten-
ditur, quod ſub morbo, & nomine Epi-
demia intellegi debet alijs quicunque mor-
bus popularis contagiosus. Quod autem
poſſit licentia ab Ordinario juſte condeſci
in caſu ingruentis belli, ſi juſte timea-
tur de communi bono Sanctimonialium,
vel ingentis alluvionis, tenet Donat.
loco cit. tom. 4. tract. 4. quæſt. 2. num. 11.
à quo non diſentit Fagnan. in cap. recolen-
tes num. 54. de ſtat. Monach. ubi ſic inquit.

R In

In primo casu dumtaxat Bulla Urb. IV. non corrigitur per d. Bullam Pii V. videlicet quando superveniret inevitabilis, & periculosa necessitas, sicut exustionis ignis (qui casus est hodie exceptus in Extravag. Pii V.) & incursus hostilis, & consimilis: Quod intellige dummodo necessitas sit extrema, & egrediantur saltem auctoritate Episcopi, si ulteriore dilationem res non patiatur; quid enim si Monasterium aquarum inundatione mergeretur, aut irreparabilis totius Monasterii ruina proxima immineret; expeditanda ne esset licentia ab Urbe; an potius succurrendum Monialibus pereuntibus? Ad hoc c. exit, qui seminat, §. Porro de verb. signif. lib. 6. ubi -- Nec ipsis fratribus jure poli in extrema necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi naturae via omnibus extrema necessitate detentis concessa, præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta: sed extra hunc casum, translatio monialium ab uno, ad aliud Monasterium fieri non potest, nisi auctoritate Apostolica. Hæc Fagnan.

De excommun. contenta in c. indemnitatis tibus, §. Postremo de elect. in 6.

E X C O M . X.

S U M M A R I U M .

i Qui praesident electioni Monialium, tanquam Officiales, si non abstinent ab his, ex quibus discordiae oriri solent excommunicationem incurront.

A D N O T A T I O N E S .

M Ulieres Religiosæ, quæ Clausuram non servant, si vocatae ad diligendas Moniales in Electionibus, non abstinent ab eis, ex quibus discordiae oriri, vel ortæ nutriri possunt circa ipsas electiones, excommunicationem incurront eo ipso, ut notat glos. marginalis in d. §. Postremo, Bonaccin. de censur. extr. bull. cœn. disp. 2. q. 2. pun. 5. n. 4. Et hinc est, quod alii vocati ad hortandum, si oppositum faciant, non incurront, quia textus intelligitur de his, qui praesident electioni, tanquam officiales illius, nimur ut Scrutatores, Notarii vel testes, ut contrâ Bonaccin. loco citato tenet Passerin. de elect. c. 40. n. 29.

De Suspensionibus.

§. II.

De suspensione contenta in Extravag. i. de simon.

S U S P . I.

S U M M A R I U M .

i Capitulum Monialium agens contra dispositionem Extravag. i. de simon. incurrit suspensionem eo ipso ab omni actu capitulari communi.

A D N O T A T I O N E S .

D iximus siपra in tit. præcedenti §. i. quod Moniales particulares exigentes, & recipientes ab ingredientibus Religionem directè, vel indirectè prandia, pecunias, jocalia, aut alia etiam ad

usum plium deputata, incurront excommunicationem contentam in hac extravaganti, modò dico, quod Capitulum ipsarum Monialium agens contra dispositionem ejusdem Constitutionis, suspensionem impropiè dictam, hoc est privationem (quæ est reservata) ab omni actu, & officio Capitulari communi, & quod administrationem Ecclesiasticam requirit, eo ipso incurrit, prout tradit Barbos. in dict. extravag. num. 8. An autem talis pœna hodie vigeat, & incurrit, faciunt ad hoc, quæ ibidem dicta sunt de excommunicatione.

De

De suspensiōne contenta in c. 17. sess. 25. de
regular. Concil. Trident.

S U S P. II.

S U M M A R I U M .

- 1 Abbatissa tenetur certiorare Episcopum per mensem ante de professione emitenda Novitiae, alias suspensionem ab officio incurrit, quamvis sit exempta, & alii paenit potest.
- 2 Abbatissa, que consensum praestat de positis dotum fictis, suspendi potest ab officio ibi.
- 3 Episcopus ex causa, potest paenit canonicum augere ibi.
- 4 Certioratio debet fieri Episcopo, non autem ejus Vicario, nisi sit absens, vel hoc ignoranter fiat & n. 3.
- 5 Vicarius generalis Episcopi, non potest explorare voluntatem Puellarum, quae ad habitum, vel professionem admittuntur, nisi Episcopo impedito vel absente ibid.
- 6 Vicarius non potest explere ea, quae sunt commissa Ordinario per nomen appellativum Episcopi.
- 7 Eleccio Abbatissae tempore Sedis vacantis, notificanda est Vicario Capituli.
- 8 Vicarius Capituli longe excellit Vicarium Episcopi.

ADNOTATIONES.

Abbatissa, sive Priorissa, sive Praefecta Monasterii Monialium, teneatur per mensem ante certiorem facere Episcopum, de professione emitenda à Novitiae; quod sit non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur suspensionem ab officio incurrit, & ex dispositione Concilii in d. c. 17. Quare ad officium ordinari pertinet de hoc admonere, non solum Abbatissas Monasteriorum sibi subjectorum, sed etiam exemptorum; & Regularibus subjectorum, prout monui p. 2 tit. 13. ad form. 3. quæ si sua monita spernerent, & Vir-

gines ad habitum, & Novitias ad professionem admitterent eo non certiorato, censuris, & aliis juris remedii, non tantum Abbatissas exemptas; sed & eorum Superiores posset coercere, non obstantibus exemptionibus, & privilegiis, Barb. in sum. decis. Apostolic.collect. 5. num. 23. Gallemart. collect. in Concil. in d.c. 28. sess. 25. de regular. num. 10. circā fin. & probant Decreta à me d. par. 2. loco citato num. 11. allegata. Hanc suspensionem inhärendo Decretis generalibus S. Cong. Episc. & regul. quæ prohibent in receptione Novitiae ad habitum, fieri depositum Dotis verbale, seu confessionatum) posset Episcopus extendere ad Abbatissas, quæ scienter praestant præsentiam, & consensum hujusmodi depositis fictis, non realibus, & effectivis, c. fin. de transact. potest enim Episcopus canonem adjuvando, penam adjungere glos. in clem. ne Romani de elec. Fagn. in c. irrefragabili §. Cæterum num. 11. de offic. ordin. Decreta autem id prohibentia referuntur à Nicol. in Flost. in verb. depositum.

Quid si Abbatissæ, & Superiorissæ 2. 2. exemptæ, non Episcopum in Diæcesi præsentem, sed ejus Vicarium generalem certiorarent, nunquid Concilio satisfacient? Et videtur dicendum, quod non: quia Concilium Episcopum nominatim; non autem Ordinarium expressit & per hoc videtur in exploratione voluntatis professuræ illius industriam elegisse, & ideo Vicarius Generalis nec cum speciali mandato potest explorationem voluntatis Puellæ habitum regularem suscipere aut professionem emittere volentis facere nisi Episcopo impedito, vel absente, ut jam pluribus auctoritatibus allegatis probavi p. 1. tit. ad form. 1. n. 46. quibus nunc addo Barb. alleg. 54. n. 88. & alleg. 100. n. 8. Pelizar. de monial. c. 3. num. 2. Ventrigl. in prax. p. 2. adnot. 14. §. 1. num. 53. quidquid dicat sine auctoritate in contrarium Ciarlin. contr. 194. num. 10. & 20.

Imò etsi Vicarius veniat appellatione 3. Ordinarii: non tamen potest explere ea, quæ non veniunt sub generali mandato, sed indigent speciali, ut dixit Rot. coram Coccin. decis. 608. n. 3. & sic multò minus poterit exequi ea sine mandato, quæ

R. com.

commissa sunt Ordinario per nomen appellativum *Episcopi*, ut advertit Biss. *hierurg. lit. R.n. 63. §. 2.* Fateor tamen, quod si Abbatisa, sive Superior exemptus hoc non faceret de industria, sed ex ignorantia, & bona fide, sine dolo, & fraude, essent excusandi: sicut si Episcopus esset extrà Diæcesim; non solum possent, sed tenerentur denunciare electionem Abbatisæ Vic. Generalis, Pasqualig. *ad contr. de Franc. par. 1. num. 728. in fin. Passerin. de elect. c. 40. num. 15.* ubi ampliat hoc faciendum esse, etiam tempore Sedis vacantis, & Vicario Capituli notificandam, quia longè excellit Vicarium Episcopi, Graff. *decis. aur. p. 2. additam ad p. 2. c. 10. n. 5.* Card. de Luc. *de canonic. disc. 33. num. 6.*

De suspensione contenta in Clem. I. de reb. Eccles. non alien.

S U S P . III.

S U M M A R I U M .

- 1 *Abbatissa concedens alicui ad tempus jura, vel bona Monasterii, suspensionem ab officio incurrit eo ipso, nisi necessitas illam excusat.*
- 2 *Suspensus ab officio à jure, intelligitur suspensus non tantum ob officio ordinis, sed etiam jurisdictionis.*

A D N O T A T I O N E S .

- 1 **A**bbatisa, sive Prælata Monasterii Monialium concedens alicui ad vitam, seu ad certum tempus jura, vel bona Monasterii, præter poenæ extravag. *Arbitrio*, vigore hujus Clementinæ, suspensionem ab officio, ipso facto incurrit; nisi necessitas, aut evidens utilitas Monasterii, & consensus Capituli Monialium eam excusaret. Nam licet Clementina loquatur de Religiosis viris, tamen cum prohibitio sit generalis ibi—ne quis Religiosus: comprehendunt, tam Superiores mares, quam feminæ, per ea, quæ jam diximus suprà, præsertim cum materia, quæ sub tali pœna prohibetur, sit communis etiam Monialibus, & ne respectu feminæ

censura suspensionis ab officio in Clementina inficta sit inutilis, debet nomine officii intelligi non tantum officium ordinis (quod non potest in ea cadere) quam jurisdictionis, ut tradunt Bonac. *de suspens. disp. 3. pun. 5. §. 4. n. 5.* & tom. 3. *de susp. in particul. disp. 3. qu. 4. pun. 15. n. 8.* Pelizar. *de monial. c. 8. q. 29. n. 37.*

De suspensione contenta in cap. non solum, & cap. constitutionem de regular. in 6.

S U S P . IV.

S U M M A R I U M .

- 1 *Regulares mendicantes, tam mates, quam feminæ, admittentes aliquem ad professionem antè completum annum probationis, à receptione aliorum sunt ipso jure suspensi,* & n. 2.
- 3 *Concilium Trid. poenæ à jure statutas non tollit.*

Episcopus Moniales in hanc suspensionem incurfas absolvit ibid.

- 4 *Præcedentia inter Moniales, quomodo sit regulanda, ostendit.*

A D N O T A T I O N E S .

Regulares mendicantes, qui aliquem antè completum annum probationis ad professionem recipiunt, a receptione professionis aliorum sunt ipso jure suspensi, aliis poenæ puniendi, prout statuitur in d. c. non solum: Constitutio extensa ad omnes ordines mendicantes in d. c. *constitutionem*, comprehendit etiam Moniales, ut volunt Bonac. *de susp. in partic. disp. 3. quæst. 8. punct. 5. n. 13.* Pelizar. *d. cap. 8. num. 38.* Quare si moniales horum ordinum aliquam Novitiam antè annum completum probationis scienter ad professionem reciperent, tam Capitulum, quam omnes Moniales particulares, ipso facto a receptione aliarum Mulierum ad professionem essent suspensi; & si factum esset præsumptuosum, possent, in modo deberent aliqua alia pœna puniri, ut in textu disponitur ibi -- quo si forte contrà hanc nostram prohibitionem quemquam recipere pre-

presumpseritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro Ordini alligatum, vosque receptione quorumlibet ad professionem ejusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœna subjiciendos.

- 3 Hæc autem pœna suspensionis à receptione aliorum, ablata non fuit à Concil. Trid. sess. 25. c. 5. ubi professio antè annum probationis emissâ irritatur, quia Concilium alias poenas à jure statutas non tollit; & d. text. in d. c. non solum, non respicit tantum validitatem actus, quam factum, ut advertit Bonac. loc. cit. n. 19. potest tamen Episcopus, ab hac suspensione Moniales subditas absolvere, & ad actus receptionis reintegrale, Bonac. ibid. n. 18.
- 4 Et hic nota, quod præcedentia inter Moniales, non regulatur à die suscepit habitus, sed à die validæ professionis, quantum autem duæ insimul eodem instanti professionem emitterent, quæ prius ad habitum admissa fuit præcedere debet, & si eodem tempore ambæ ad habitum admissæ fuissent, data etiam professionis paritate, quæ prius acceptata fuit præcedet, S. Congr. Episc. in Patavina 1608. & in Nolana 26. Junii 1615. & S. Congr. Concil. 13. Martii 1648.

De suspensione contenta in Bulla Gregor. XIII. Expositi, Bular. tom. 2. pag. 463.

S U S P. V.

S U M M A R I U M.

- 1 Abbatissatus officium est triennale.
- 2 Episcopus non potest prorogare gubernium Abbatissæ, neque sub alio nomine donec nova Abbatissa eligatur, & reicitur Pasqualig.
- 3 Abbatissatus officium potest esse annale, vel biennale, & tunc Abbatissæ reeligipotest, donec triennium compleatur.
- 4 Bulla Gregorii XIII. non habet locum in electione Abbatissæ, quæ fit per institutionem, presentationem, seu nominationem, neque extra Italiæ, & n. 5.
- 6 An Constitutio Gregorii XIII. sit ser. Monacel. Formul. Pars III.

vanda in Conservatoris, & aliis Collegiis Virginum non habentibus claustram, examinatur.

- 7 Ordinarius dispensat, ut Superiorissa Conservatorii possit reelegi ad aliud triennium.

A D N O T A T I O N E S.

Abbatissæ, sive Monasteriorum Monialium Præfectoræ, quæ olim in Italia erant perpetuae, hodie vigore hujus Constitutionis sunt triennales, adeò ut statim expirato triennio; remaneant ab officio suspensæ, & omni prorsus careant auctoritate, & nisi transfacto alio triennio reelegi non possint, sub pœna nullitatis, & irritationis.

Hoc gubernii triennium, Episcopus non potest prorogare, S. Congr. Episc. in Adrien. 15. Febr. 1615. neque Abbatissam post finitum gubernium, sub alio nomine Monasterio præficere, donec nova Abbatissa eligatur, ut dixi par. 1. tit. 11. ad form. 22. n. 11. quia ita providendo faceret contrà Bullam, in qua sic dicitur elapsø triennio suis officiis perfundæ præesse desinat, ac à regimine, & administratione Monasterii per triennium à die finitæ administrationis abstineant, &c. Quod si secùs à quoquam quavis auctoritate fuerit attentatum, electionem, & præfectionem hujusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequentur, irrita, nulla, & inanæ fore &c. sed donec nova Abbatissa eligatur, præsidentia datur Seniori, ut probant Decreta in d. par. 1. allegata, Donat. prax. tom. 4. tr. 7. q. 27. n. 3. quidquid dicat in contrarium Pasqualig. ad contr. de Franc. p. 1. n. 675.

Hæc autem Constitutio prohibet gubernium Abbatissarum protrahi ultra triennium: non tamen, quod non possint esse annales, vel biennales juxta Religionum statuta, Gavant. manual. Episc. verb. monialium official. electio n. 22. Tambur de jur. Abbatiss. disp. 30 q. 1. n. 10. Pelizar. de Monial. c. 7. n. 46. quæ poterunt post annum, vel post biennium reelegi, quoisque gubernium triennale compleant, ut vult Pasqualig. ad Lauret. de Franc. contr. p. 1. n. 677.

R. 3 Item

Item non habet locum in electione Abbatissæ, quæ fit per institutionem, præsentationem, sive nominationem, quia, qui ex privilegio, aut ex lege fundationis Monasterii, hanc facultatem habet, poterit eam perpetuò, vel ad tempus longius præsentare, etiam in Italia, Barb. de jur. Eccles. lib. 1. c. 46. n. 37. Donat. prax. ver. reg. tom. 4. tr. 7. q. 23. nu. Card. de Luc. suprà Concil. dis. 37. n. 20.

Neque locum obtinet extra Italiam, nec minus in Conservatoriis, & Domibus piis virginum, & Mulierum collegialiter viventium, in quibus clausura non servatur, ut respondit Navar. cons. 7. de stat. monac. per tot. ubi loquitur de Ven. Domo Oblatarum Turris speculorum Urbis.

Verumtamen, licet sententia Navarri, inspecto Constitutionis tenore vera sit, ex quo in ea strictè de Monialibus S. Benedicti, Cisterciensium, Carthusiensium, & aliorum ordinum, sermo sit: tamen cum in c. indemnitatibus §. Supradicta de elect. in 6. dicatur, quod quæ statuta sunt ibi circa electionem Abbatissæ, & Priorissæ Monialium, servari debeant etiam in Domibus & Collegiis Mulierum, & oblatarum in quibus vota solemnia religiosis non emittuntur, ut ibi -- supradicta si quidem, nedum in Monasteriis, in quibus sunt Moniales viventes sub aliqua ex religionibus approbatis: sed etiam in illis ubi sunt juxta quarundam Provinciarum consuetudinem Mulieres, que nec propriis renunciant, nec professionem faciunt regularem, sed vivunt ut in Secularibus Ecclesiis Canonici seculares volumus per omnia observari: certum videtur quod nisi statutum fundationis obstat, vigore dispositionis juris d. Constitutio ad Congregationes Mulierum Oblatarum, sive Tertiariarum sit extendenda, & in earum electionibus observanda, prout jam declaravit S. Congr. Episc. ut testantur Pasqualig. loco supracitato n. 671. Nicol. in flosc. verb. Conservatorium nu. 3. & pro indubitate de jure tenet Passerini. de elect. cap. 40. n. 30. At in his poterit Ordinarius dispensare, ut Superiorissa valeat confirmari, & reelegi ad aliud triennium, Nicol. loco citato.

De suspensiōne contenta in Conslit. Greg. XV. Inscrutabili. Bullar. tom. 4.

S U S P. VI.

S U M M A R I U M .

- 1 Electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis, si fiat finē præsidentia Episcopi, an, & quandō sit valida, vel invalida, ostenditur. & n. 2. & 3.
- Superiores Regulares, qui ad electiōnem Abbatissæ processerunt, non expedito Episcopo, possunt puniri, ibi.
- 4 Datur formula declarationis animi Episcopi, super præsidentia electiōnis Abbatissarum exemptarum.
- 5 Constitutio Synodalis in rebus specialiter Ordinario commissis, ligat etiam Regulares.
- 6 Electio Abbatissæ per vota non secreta, nulla est, quamvis hoc contingat ex ignorantia, & adducitur pro limitazione doctrina Sperelli.
- 7 Electio Abbatissæ nulla est, quandō electa non habet requisita Concilii vel est corrupta, illegitimè nata, excommunicata, suspensa, aut interdicta, quamvis tolerata.
- 8 Electio facta per scrutinium auriculae, dicitur Secreta.
- 9 Electio facta coram simplicibus testibus, & non coram scrutatoribus est nulla.
- Scrutatores obligantur ad secretum. ibi.
- 10 Electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis, prorogari, fieri, & confirmari non debet finē consensu Episcopi.
- Abbatissa canonice electa, si officium sibi impositum acceptare recusat, protest censuris cogi ad acceptandum ibid.

ADNOTATIONES.

HÆC Constitutio fuit à me data per extensum cum declarationibus

bus nonnullorum dubiorum defuper emanatis, par. 1. in Appendic. pag. 305. Praeter autem ibi notata ea oritur, quod postquam Episcopus declaraverit velle uti protestate hic sibi tributa; Regulares non possint in Monasteriis Monialium ipsis subjectis Abbatissas, seu Præfectas eligeret, nisi in prius ipse, de tempore electionis fuerit monitus, ideoque si Abbatissa eligeretur absque præsentia, & assistentia Episcopi, sive ejus delegati, tamquam nulliter, electa remaneret, suspensa, si credimus Nicolio in flore. verb. Abbatissa n. 4. quem bona fide sequitur Lantusc. theatr. regular. cod. verb. nu. 8. & eos non reprobat Pignatell. consult. 120. n. 4. tom. 8.

2 At si veritatem inquirimus, debemus dicere, quod electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis taliter facta, sit quidem valida, sed possit ab Episcopo sperto, nulla (si velit) declarari, ut melius observat Passerin. de elect. cap. 40. nu. 20. Superiores autem, qui Episcopo non monito, aut tempore determinato non expectato, ad electionem processerunt, possunt puniri, ut declaravit S. Congreg. Concilii, in Bullar. tom. 4. part. 102. & hoc dicit Decretum, quod male pro se allegat Nicolius, ut videri potest in meo citato codice in Appendic. pag. 308. & hoc quoque firmant Barb. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 45. num. 34. Gavant. in manual. verb. Monialium officiales num. 13. Donat. prax. tom. 4. tract. 7. quest. 10. nu. 3. & alii ab eis allegati Cæterum in hac Bulla nullum adest verbum, seu clausula, ex quo, seu qua valeat inferri ad nullitatem electionis Abbatissæ factæ sine præsidentia Episcopi, sed solum datur ei potestas facultativa per se vel per alium præsidendi, si velit. & idem requiratur animi declaratio, quæ modo sequenti vel simili concipi poterit.

Animi declaratio in Synodo facienda.

Volentes nos uti facultate nobis in hac parte attributa à Constit. San. me. Gregor. XV. Inscrutabili, interessendi, & præsidendi electionibus Abbatissarum, Priorissarum, Præfectorum, vel Præpositorum Monasteriorum Mo-

nialium, jurisdictioni Superiorum Regularium subjectarum: hac nostra Constitutione declaramus velle per nos ipsos, vel per alium à nobis delegandum interesse, & præsidere quoties casus eligendi evenerit, electioni Abbatissarum, & Superiorissarum Monasteriorum Monialium, gubernio Regularium exemptorum subjectarum hujus nostræ Diœcesis, idcirco monemus, & interpellamus Superiores Regulares omnes pro tempore, nè ad electionem dd. Abbatissarum, & Superiorissarum quocunque nomine appellantur, devinant, nisi prius nobis, & successoribus nostris de electionis significato, sub penitus censurarum, & aliis arbitrio.

Hæc animi declaratio, si fiat in Syndodo) quæ in re specialiter Ordinario commissa obligat, & ligat etiam Regulares, ut tradunt Ricc. in prax. par. 4. resol. 380. num. 5. Donat. prax. rer. regul. tom. 1. par. 2. tract. 13. quest. 25. nu. 6.) habet vim specialis monitionis: si verò in Synodo factam fuisse, non reperiatur, alio modo legitimo Superioribus Regularium notificanda erit.

Nulla autem esset Abbatissæ electio, tam in Monasteriis Regularibus subjectis, quam in aliis, si eligeretur per vota non secreta, quamvis hoc contingere ex ignorantia: in qua nullitate, nec Superiores, Regulares, nec Episcopus dispensat Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. c. 165. nu. 6. Gavant. in manual. verb. Monialium Officiales in addit. num. 1. Passerin. de elect. cap. 40. num. 12. & alii quos cumulat Sperelli. dec. 161. n. 1. & seq. per tot. qui tamen in sequenti dec. 162. post longam dissertationem nu. 67. per doctrinam Innoc. in cap. quod sicur 27. sub num. 8. in fin. de elect. concludit, quod electio nulla ob non servatas solemnitates jurispositivi ex eligentium, & electæ inscitia, teneat in foro conscientiae, adeo ut electa non teneatur ultronee dimittere Prælaturam, & quod possint in officio annuente Superiori remanere, ubi nulla fraus, vel dolus intercessit, & nulla ad sit Monialium oppositio, nec contradictione, prout accedit in casu, super quo scripsit; que doctrina poterit in praxi tute sequi, dummodo in casu hoc contingibili,

R 2 li,

li, concurrant circumstantiae hic supra
mox expressae, & recensitae.

- 7 Nulla quoque eset electio Superioris, si fieret de Moniali non habente qualitates, & requisita Concilii Trid. vel eset illegitimè nata, vel corrupta (de quibus dicam infra) vel excommunicata, suspensa, aut interdicta, quanvis tolerata, nam he omnes sunt ineligibiles, ni Papa, aut Sac. Cong. dispenset, & nisi censura, absolutione tollatur, ut latè ostendit Passerin. *de elect. cap. 40. à n. 40. ad 78. Bonac. de excomm. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. n.*

1. & 3.

- 8 Electio secreta dicitur non solum illa, quæ juxta Statuta Ordinum Monialium fit per schedulas; sed etiam illa, quæ fit per scrutinium auriculare, juxta Decretum Concilii Trid. *sess. 2. 5. cap. 7. de regul. ibi - is verò, qui electioni præest, clausa, Monasterii non ingrediatur, sed antè Cancellorum senestellam, vota singularum audiat, vel accipiat,* Hoc autem secretum auriculare scrutinium, non frangitur, quandò Episcopus, vel alias Superior, assunt, & adjungit sibi duos, vel tres Socios, qui Vota Monialium excipiunt, ut communiter DD. tradunt, quos tacito nomine refert, & sequitur Passerin. *de elect. d. cap. 40. n. 12. Sperell. d. dec. 161. n. 2. Card. de Luc. supra Concil. d. dec. 37. n. 10.*

- 9 Verum est tamen, quod hi, quos Superiores Monialium sibi asciscunt, adhibendi sunt non tanquam simplices testes; sed tanquam Scrutatores, qui obligentur, & teneantur ad secretum; qui enim Vota

audit non tanquam Scrutator, sed ut testis, potest illa manifestare, nec tenetur sigillo Scrutationis: & ideo scrutinium coram simplicibus testibus factum, tanquam non secretum nullum eset, nec posset à Superiori sanari, ut advertit Pasquier. *ad Lauret. de Franc. contr. par. 1. n. 687. Donat. in prax. tom. 4. tral. 7. quæst. 10. n. m. 5. ubi quod isti Scrutatores in electione Abbatissæ facienda à Prælato Regulari cum assistentia, & præsidentia Episcopi, sint necessarii, alioquin electio ipsa sit nulla.*

Quod si post duo scrutinia, electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subiectis, non fortiuscatur, tunc Prælatus Regularis consulto Episcopo præsidente, terminum assignare debet Monialibus ad concordandum, quo elapsio si non concordaverint, ipse Superior, approbante tamen Episcopo, ad deputationem Abbatissæ sibi benevisse, poterit devenire. Dixi Episcopo approbante, quia ipse præsidet tanquam auctoritatem habens, & ejus munus est electionem dirigere per modum Superioris: adeo ut electio sine ejus consensu, prorogari, fieri, & confirmari non debeat, ut bene observat Passerin. *in sèpè citato cap. 40. nu. 17. & 18. At si canonice electa nollet officium sibi impositum acceptare: posset cogi etiam sub censuris ad acceptandum: nisi renuens assignaret rationabilem causam refutationis, Donat. prax. rer. regul. tom. 2. tral. 7. n. 2. quia Religiosi non habent velle, nec nolle nisi dependenter à Prælatis..*

De.

De Interdicto

§. III.

De Interdicto contento in c. Episcoporum. in 6.

INTERD. I.

SUMMARIUM.

- 1 Moniales admittentes in eorum Ecclesias publice excommunicatos, vel Interdictum violantes, ipso facto ab ingressu Ecclesiae interioris sunt interdictae, & n. 2.
- 3 Si major pars Monialium Monasterii esset culpabilis, eorum Ecclesia interdicti deberet.
- 4 Moniales admittentes, & permettentis in eorum Ecclesiis, inhonestam, & indecentiam, vel ritus, & ceremonias contra rubricas; Interdicto puniri possunt, & n. 5.
- 6 Moniales in nocte Nativitatis Domini, unica Missa contentae esse debent. Enarrantur Mysteria trium missarum, quæ celebrantur in Nativitate Domini.
- 7 Omnis Sacerdos potest de jure unam missam celebrare in Noche Nativitatis Domini.

ADNOTATIONES.

DE hac censura jam vidimus supra in titulo 3. de interdicto ad form. I. cui subiacent etiam Moniales, si aliquam ex actionibus prohibitam in hoc textu facerent, v. g. celebrare faciendo in eorum Ecclesia, sita in loco interdicto, aut in ea admittendo ad Divina officia publice excommunicatos, vel interdictos: nam textus generaliter loquitur de omnibus Religiosis quantumcumque exceptis, adeoque etiam Moniales comprehendit, quæ proprie, & vere sunt Religiosæ, Bonac. cin. de interdict. in partic. disp. 4. quæst. 4.

punct. 6. num. 6. n. 9. Pelizar. de monial. d. cap. 8. num. 40. Quare si modo jam dicto, vel alio, interdictum generale locale, sive Apostolica, sive Ordinaria auctoritate, publicatum, violaverint ipso facto erunt ab ingressu propriæ Ecclesiae interioris interdictæ, quam ingredi non poterunt, ad audienda divina officia: imo neque ad orandum ut vult Pelizar. loco mon. cit. d. n. 40. 3

Hoc tamen intelligi debet de illis Monialibus, quæ culpabiles sunt, quas Ordinarius in hanc censuram incursum denunciabit: Si autem major pars Monialium Monasterii esset culpabilis, tunc præter denunciationem incursum interdicti personalis, interdicti etiam deberet specialiter illorum Ecclesia, prout dictum fuit supra de Religiosis maribus, & hoc quamvis moniales essent jurisdictioni Regularium subjectæ, per ea, quæ ibi firmavi: possunt enim Regulares, & alii exempti cogi pena censurarum, ab observandum interdictum in loco publicatum, ut præter ibi allegata respondit Sac. Congr. Concilii in Indiarum 17. Decembr. 1650. lib. 10. dec. pag. 97.

Possent quoque Moniales etiam exceptæ Censura interdicti personalis, vel localis specialis Ecclesiae, ab Ordinario puniri, si permetterent, & introducerent in eorum Ecclesiis, tam tempore festivitatum, & divinorum celebratione, quam alio tempore, indecentia: vel canerent, vel canere facerent in eis res lascivas, & inhonestas: vel ritus, & ceremonias sacras, in rubricis Missalis, & Breviarii romani prescriptas, mutarent, & confunderent: vel demum horis insolitis Missas facerent celebrare, & ab Ordinario super reformatione predicatorum monitæ, non se corrigerent, & emen-

mendarent; error enim, cui non refisti-
tur, approbari videretur, *extravag. 1. Jo-*
XXII. ne sed. vac. & hoc jure faciet vigore
Decreti Concilii Trid. *de evitan. in celebr.*
miss. sess. 22. prout ita declarasse Sac. Con-
greg. Concilii supra eundem textum, re-
fert Gallemart. *ibi vers. ult. & in Vercel-*
len. 21. Martii 1643. quod decretum retu-
li. *par. 2. tit. 13. ad form. 1. num. 45.* Quare
nè prædicta eveniant, & non committan-
tur in Ecclesiis Monialium etiam exem-
ptarum, in Synodo (quæ vim habet spe-
cialis monitionis) prohibenda erunt; mo-
nendique Cappellani, nè in nocte Nativi-
tatis D.N. celebrent in Monialium Eccle-
siis plusquam unicam missam circa me-
diā noctem, nec ibi fidelibus Eucharis-
tiā ministrent d. hora sub poena suspen-
sionis, & interdicti; juxta Decretum Sac.
Congregat. Rit. quod dedi *tom. 2. pag. 160.*

Et hic pro instructione populi est no-
tandum, quod tres missæ, quæ celebran-
tur in Nativitate Domini plura continent
Mysteria.

Prima celebratur in media nocte, ad
designandam æternam Nativitatem ex
Patre, quæ Nobis occulta est.

Secunda celebratur in diluculo propter
Spiritualē Nativitatem, qua Christus
oritur tanquam lucifer in cordibus no-
stris.

Tertia celebratur hora tertia, propter
temporalem visibilemque in carne Nati-
vitatem; *Graff. decif. aur. part. 1. lib. 2.*
cap. 40.

Item.

Prima cantatur in nocte ad repræsen-
tandum statum illum, qui fuit ante legem
quando omnes erant in tenebris: unde di-
citur in Missa hæc Prophetia- *populus qui*
ambulabat in tenebris.

Secunda, quæ dicitur in aurora, repræ-

sentat tempus sub lege veteri, in qua inci-
piebant homines in parte scire Christum,
sed non bene.

Tertia dicitur in die, per quam desi-
gnatur tempus gratiæ, scilicet præfens,
unde dicitur-- *Puer natus est nobis, glo-*
ri cap. nocte de consecr. dist. 1.

Item.

Prima dicitur in media nocte in memo-
riam Christi Nativitatis.

Secunda in Aurora, in qua fuit à Pasto-
ribus adoratus.

Tertia dicitur hora tertia, in memo-
riam manifestationis, omnibus factæ,
juxta Telephori Papæ (qui celebratio-
nem trium missarum instituit) intentio-
nem *i. nocte 48. de consecr. dist. 1.*

Item.

Prima dicitur in nocte ad significan-
dum, quod Christus natus est pro illis,
qui vixerunt in tenebris legis naturalis.

Secunda dicitur in diluculo ad signifi-
candum, quod Christus natus est, pro il-
lis, qui vixerunt in lege scripta.

Tertia celebratur ad significandum,
quod Christus nascitur, pro illis, qui sunt
in lege Evangelica, quæ lucem clarissi-
mam habet: unde versus

*Quarum prima sibi tempus, quo lege ca-
rebant,*
*Altera dat Moïsen, designat tertia Chri-
stum.*

De jure omnes Sacerdotes possunt di-
cere unam Missam in d. die Nativitatis de
nocte, & alias duas post lucem, *Navar. de*
celebr. Missar. consil. 1. lib. 3. quem se-
quitur Bonaccin. *de Sacr. Eucharist. disp. 4. q.*
ult. punt. 9. n. 6.

De

De Irregularitatibus, sc̄ē inhabilitatibus.

§. IV.

De Irregularitate contenta in c. fin. de fil. presbyter.

IRREGUL. I.

SUMMARIUM.

- 1 Abbatissatus est Dignitas.
- 1 Monialis illegitima non potest eligi in Abbatissam, & n. 4.
- 3 Qui promovetur ad honores, debet esse de legitimo matrimonio natus.
- 3 Monialis, quae habet in Sæculo matrem in honestam, non debet eligi in Abbatissam.

ADNOTATIONES.

- D**icitur in hoc textu, quod illegitimè nati, non promoveantur ad Dignitates sine dispensatione Apostolica, quæ prohibito, licet respiciat Viros promovendos ad Ordines, nihilominus quodammodo trahitur (quamvis impropriè) etiam ad promotionem Mulierum Religiosarum, quæ eliguntur ad prælaturam Monasterii, nam Abbatissatus est Dignitas, ut habetur in c. indemnitatibus §. Verum de elect. in 6. & ideo Moniales illegitimiæ sine dispensatione Apostolica ad illam eligi non possunt, & si elegantur, confirmandæ non sunt, ut monet glos. in d. c. indemnitatibus verb. canonica: quia, qui promovetur ad honores, vel regimenter spirituale animarum decet, quod sit de legitimo matrimonio natus, ut dicit glos. in c. cuius incundis ver. matrimonio de elect.
- 4 Et quamquam non desint DD. qui teinent, quod Monialis illegitima possit eligi in Abbatissam absque Papæ dispensatione, ex quo nullus canon in jure reperiatur, qui ob defectum natalium inhabilitet, & irregulares faciat Moniales ad Abbatissatum, sc̄ē Prioratum, & poenæ non sint extendendæ, quos referunt Pelizar. d. s. 8. num. 43. Donat. in prax. tom. 4. tratt.

7. quæst. 37. n. 1. & seqq. & ita quoque olim tenuerit S. Congr. Episcop. ut in Decretis à me relatis par. 1. tit. 11. ad form. 22. nu. 13. tamen seclusis Religionum privilegiis, ve- rior sententia est quod sine dispensatione non eligatur, prout auctoritate antiquorum Canonistarum aliorumve jurium, & contrarii rejectis, plenè probat Fagn. in c. ut filii à n. 38. ad n. 60. de fil. presbyt. & eam sequuntur Donat. d. quæst. 37. n. 9. & seqq. Lauret. de Franc. contr. par. 1. n. 689. ibique Pasqualig. Passerin. de elect. d. c. 40. n. 43. ubi affirmat, quod hæc semper fuit constans opinio S. Congr. & plura Decreta allegat recentiora, & hanc sententiam dicit absolutè veram, Ricc. collect. 3716. ubi ampliat in ea Moniali, quæ habet Matrem in sæculo in honestam.

De irregularitate contenta in c. iuriculas 20. quæst. 1.

IRREGUL. II.

SUMMARIUM.

- 1 Viduæ, & aliæ Mulieres corruptæ si profiteantur in Religione ad munus Abbatissatus, sine dispensatione non assumuntur, nisi corruptio, effet oculta, & n. 2. & 3.
- 4 Monialis Bigama non eligitur in Abbatissam.
- 5 Declara quando est corrupta, secus si non sit corrupta.
- 6 Abbatissa si sit excommunicata tolerata potest recipere Novitias ad habitum.
- 7 Amplia in Monialibus excommunicatis, quæ valide votum dant in receptione Novitiae.

8 Abba-

- 8 Abbatissa publicè excommunicata, non potest recipere Novitias ad Religio-nem, & redditur ratio.
- 9 Abbatissa canonice electa, præcipit Monialibus in virtute Sanctæ obe-dientiæ.
- 10 Et ex commissione majora præcepta imponit.
- 11 Abbatissa ex privilegio, vel Consuetu-dine prescripta potest habere juris-dictionem in Clericos.
- 12 Non potest prædicare, neque admini-strationem bonorum absolutam ha-bet, & n. 13.
- 14 Dat facultatem Monialibus retinendi minuta, non autem superflua, & num. 15.
- 16 Superior non potest facere Religiosos proprietarios.
- 17 Mulier major excommunicata denun-ciata, validè contrahit, & n. 18.
- 19 Contractus Mulieris innexus falsæ causæ, corruit per remotionem con-sensus.

AD NOTATIONES.

EX hoc textu, in quo prohibetur, quod non eligantur Abbatissæ, nisi sint Virgines, colligunt DD. quod Viduae, & aliae Mulieres corruptæ, si recipientur in Monasterium ad professionem, eligi deinde non possint ad dictum munus sine dispensatione Papæ, vel saltem Sac. Congregat. ut tradunt aliis pluribus allegatis Donat. loco citato quest. 30. num. 1. Pelizar. de monial. d. cap. 8. num. 45. Corrad. prax. disp. lib. 6. cap. 1. num. 47. & ita respondeit S. Congr. Episc. in Cassanen. 29. Jan. 1585. & in Sarzanen. 15. Julii 1616. Barb. in sum. decis. Apost. collect. 725. num. 4.

2 Et quamvis Barb. in dict. cap. juvencu-las, conetur ostendere, quod hæc opinio nullo jure probetur, & quod contraria sententia, quam ipse amplectitur nem-pe, quod Vidua, aut alia Mulier non Virgo possit eligi in Abbatissam absque ulla dispensatione, sit verior, & idem sustineant Portell. & alii: tamen ut dicit Donat. loco cit. inutiliter fatigantur, cum in praxi prima opinio, quæ habet pro se Decreta Congregat. servetur, de qua

testatur Corrad. supra allegat.

Est tamen verum, quod si corruptio; Monialis electæ non Virginis esset secreta, & occulta, electioni non obstaret, & electa renunciare non teneretur, quia ne-mo tenetur se prodere, & turpitudinem suam manifestare, præfertim cum hic non agatur de censura, nec de vera ir-regularitate, ut observat Pasqualig. ad Franc. contr. part. 1. num. 693. Pac. Jord. elucub. tom. 1. lib. 5. tit. 6. numer. 18. ubi agens de benedictione Abbatissæ dicit, quod corruptio occulta non præbet impe-dimentum electioni, & benedictioni, & pro certo tenet Passerin. de elect. dict. cap. 40. num. 52.

Illud autem quod dicitur de Vidua lo-cum habet in Moniali Bigama corrupta, cui à fortiori applicantur, quæ de illa di-cta sunt: sicuti enim Viri Bigami, non sunt Prælationum, & Dignitatum capa-ces, ita nec Mulieres Bigamæ, Gavant. in manual. verb. Monialium Officiale num. 4. ubi ex Majol. de irregularitat. lib. 1. cap. 29. numer. 12. hoc ampliat ad Monialem filiam scænici, vel Histrionis, Donat. loco citat. quest. 39. num. 2. & 3. Passerin. de elec. d. cap. 40. num. 54. ubi, quod Mo-nialis Bigama excludatur ab electione ra-tione corruptionis; non verò ratione ir-regularitatis, cuius Mulier est incapax, unde si daretur casus, quod Monialis Biga-ma non esset corrupta, non haberet impe-dimentum, quin sine dispensatione eli-gi posset, & hoc est quod dicunt etiam Tambur. de jur. Abbatiss. disput. 18. quest. 13. Pasqualig. ad Franc. controv. part. 1. num. 696.

Porrò, quod diximus supra de Mo-niali innodata censura excommunica-tionis, scilicet hanc validè non posse eli-gi in Abbatissam, etiamsi sit tolerata, non verificatur in canonice electa, & postea censura irretita, quoad exercitium Su-perioritatis activæ, hæc enim si non sit de-clarata, seu denunciata, potest validè ad-mittere ad professionem Novitias, quia professio nihil aliud est, nisi quidam con-tractus inter profidentem, & Religio-nem admittentem, qui ab excommuni-cato fieri non prohibetur, & hinc oritur quod Moniales suffragantes, etiamsi el-lerent

fent rite excommunicatae (quicquid sit de earum peccato) validè suffragium ferrent in Novitiae admissione , quia istius receptione non est actus canonicae electionis , sed unius personæ , vitæ , & morum approbatio . Secus verò si Abbatissa esset publicè declarata , quia recipere quempiam in Religionem , & religioni incorporare , & Contractus ratione publici Officii celebrare sunt actus jurisdictionales , qui invalidè exercentur ab excommunicato declarato , validè autem à tolerato , & per consequens admissio esset irrita ; ut hæc ex Portell. docet Donat. *in prax. reg. tom. 4. q. 26. per tot. tract. 12.* Sayr. *de censur. lib. 2. c. 9. num. 13.*

9 Abbatissa autem , seu Monialium Praefecta , quæ nullum canonicum impedimentum habet , postquam sit juridice electa , potest præcipere Monialibus in virtute sanctæ obedientiæ non potestate jurisdictionis , quam non obtinet , sed potestate dominativa spirituali , quam ex vi voti tradunt Moniales , quæ ideo eidem obediens tenentur , ut contrariis rejectis firmat Passerin. *de stat. hom. tom. 2. q. 186. art. 8. n. 91. & seqq.* & concordat Donat. *in prax. tom. 4. tract. 17. quæst. 32. etiam si præceptum Abbatissæ esset contraria pactum, in receptione , & professione initum Donat. d. tom. 4. tract. 8. quæst. 19. per tot.* Ex commissione autem Prælati Superioris potest exercere majorem potestatem , quam de jure non habet : & præcepta Monialibus majora imponere spiritualia , quibus parentur , Graff. *dec. aur. par. 1. lib. 4. c. 5. num. 3.*

11 Et quamquam Mulieri sit interdicta potestas ferendi censuras Barb. *in c. dilecta de major. & obed. num. 5.* nihilominus Abbatissæ ratione Dignitatis , quam habet , ex privilegio potest jurisdictionem habere Provisores nominare ad suspendendum , & excommunicandum , Clericos Beneficiis providere , & instituere , Ricc. *in prax. par. 2. resol. 285. per tot. Bellet. disq. cler. par. 1. de discip. cler. 6. 8. n. 19. & 20.* Passerin. *loc. cit. n. 89. post medium , & quod posset habere jurisdictionem in Clericos , etiam jure consuetudinis legitimè præscriptæ , tenet Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 31. & 34. ver. notandum tertio.**

Non tamen potest prædicare , nisi hor- 12 tando , nam Mulier quamvis sit docta , & sancta non debet docere , c. *Mulier. de conser. dist. 4.* quia inquit Apostolus 2. *ad Tim. 3.* Mulieres semper discunt & nunquam ad scientiam veritatis perve- niunt .

Itidem licet Abbatissæ de jure com- 13 muni habeant liberam administrationem bonorum Monasterii , & Contractus facere valeant , exhibito consilio Capituli Monialium , ut probat text. in c. *continebatur , de his quæ sunt a prælat. glof. in c. dilecta de major. & obed. Donat. prax. regul. tom. 4. tract. 8. quæst. 18. per tot.* tamen talis administratio non est absoluta , sed ferè in omnibus Monasteriis saltem Italiæ , habet relationem maximè in rebus momenti , ad Episcopum , vel Prælatum , cui subsunt , quorum consensus regulariter exigitur , nisi aliud ferat Consuetudo , aut Constitutio Monasterii , Tambur. *de jur. Abbatif. dis. 32. quæst. 13.* Pelizar. *de monial. c. 10. n. 146.*

Et licet Abbatissa possit etiam licen- 14 tiam dare Monialibus retinendi pecu- lium , & redditus ipsis concessos , hoc ta- men intelligitur de quantitate discreta v. g. si dat facultatem Moniali expenden- di scutum unum pro singulo mense pro minutis juxta declarationem factam a Clem. VIII. anno 1602. quam refert Qua- rant. *in summ. Bullar. verb. Monasteria Monialium post nu. 51.* Si enim licentiam daret ad superfluos sumptus , peccaret mortaliter . Donat. d. tom. 4. tract. 15. 15 quæst. 36. num. 3. Contractus , qui vigore talis licentiae esset initus , posset per Su- periores irritari , Pelizar. *de monial. cap. 4. num. 131.* Quoniam nullus Superior po- test facere Moniales proprietarias , qua- les sunt hæc , quæ de rebus in usum pro- prium assignatis disponunt , in usum non necessarium , vel aliorum favorem , ut ha- betur in Decretis pro reformatione Mo- nialium Neapoli , & Salerni emanat. an- no 1592. quæ refert Donat. *prax. tom. 1. tract. 3. quæst. 5.* in quibus tales contractus nullius roboris declarantur , Cherubin. *in sum. bullar. ad Conf. Benedicti XII. 3. Schol. 1.*

Hæc autem inhabilitas ad contrahen- 17 dum ,

dum, quæ modo jam dicto cadit in Abbatissis, & Monialibus, non reperitur in Mulieribus sæcularibus, quamvis excommunicatis; quia cum Contractus ab excommunicato etiam denunciato gestus tanquam à privato, sit validus, ut firmanter Sayr. de censur. lib. 2. d. c. 9. num. 11. & alii ab eo allegati, nullum aliud habent ad hoc impedimentum, nam Mulier major, præcindendo à Constitutione Marchiæ, vel particularibus statutis, potest libere, & validè contrahere sine ulla solemnitate, ut dixit Rot. cor. Merlin. dec. 601. n. 15. & coram Dunozet. jun. decis. 608. num. 7. Add. ad Pamphil. decis. 111. num. 14. dummodo causa expressa in contractu sit vera, si enim inveniretur falsa, ex hac falsitate contractus corruever per remotionem consensus, eidem falsæ causæ innixi, prout eadem Rot. tenuit in Narnien. Cambii 18. Junii 1685. coram Rondinino.

*De irregularitate contenta in cap. quicunque
§. Hæretici de hæret. in 6.*

I R R E G . III.

S U M M A R I U M .

- 1 *Monialis filia hæretici, est inhabilis absque dispensatione ad officium Abbatissatus.*
- 2 *Et regula extenditur ad primum, & secundum gradum ex linea Paterna, ex Materna vero ad primum tantum.*
- 3 *Amplia ut regula comprehendat filios natos tam ante crimen, quam post crimen, & tam masculos, quam feminas, & n. 4.*
- 3 *Limitatur regula in filiis hæretici ad fidem conversi, qui capaces sunt officiorum, & Dignitatum.*
- 6 *Monialis orta ex maculato genere Juðeorum, vel Maurorum, an, & quando possit eligi in Abbatissam, offenditur & n. 7. & 8.*
- 9 *Indultum concessum Regularibus, extenditur ad Moniales ejusdem Ordinis, etiam in materia stricta.*
- Indulgentia concessa Regularibus, ex-*

tenditur ad Moniales, etiam si sint Ordinario subjectæ ibi.

A D N O T A T I O N E S .

D Isponitur in hoc textu, quod filii hæreticorum usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admittantur, ex quo proinde sequi videtur, quod Monialis filia hæretici sit inhabilis absque dispensatione ad Officium Abbatissatum, prout tradit Passerin. de elect. c. 25. q. 9. n. 74. & magis præcisè c. 40. n. 55.

Hæc autem regula ex citato textu defumpta, compræhendit primum, & secundum gradum per Paternam lineam; per lineam vero Maternam, non se extendet, nisi ad primum gradum, ut ex glo. in figuraione casus in c. statutum eod. tit. doceat Passerin. ibid. n. 2. & compræhendit filios natos tam ante crimen, quam post crimen, ut de veriori testatur Cherubin. in sum. bullar. p. 1. ad Conf. Honori IV. 2. scol. 1. & tam Masculos, quam feminas, quia ut alibi supra ostensum fuit, in hac subjecta materia, quamvis odiosa, & penalis, sub nomine & appellatione filiorum, filias contineri communior sententia tenet, ut in terminis pœnæ filiis hæreticorum à jure impositæ tradit Barb. appellat. 99. n. 54. & 55.

Verum est tamen, quod regula prædicta procedit, in filiis hæreticorum non credentium, si enim hæretici redeant ad fidem, vel parati sunt illam recipere, & reconcilientur Ecclesiæ, eorum filii sunt capaces Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum, ut habetur in Conf. Alex. IV. 12. §. 12. & Honori IV. Conf. 2. §. 2. Bullar. tom. 1. pag. 90. & pag. 125. quas approbavit Bonifac. VIII. in d. c. statutum ubi Passerin. nun. 3.

Si autem Monialis, non ex Patre, nec Matre hæreticis: sed ex alio maculato genere Judæorum, aut Maurorum ortum haberet, & descenderet, si cæteræ ei non deessent qualitates, posset eligi in Abbatissam, seu Priorissam, prout volunt Tamburin. de jur. Abbatiss. disp. 28. quæst. 14. n. 1. & 2. Pelizar. de Monial. c. 8. n. 48. quia, ut ipsi ajunt, nullum ex hoc

quitteret

oritur impedimentum , quin jure eligi non valeat , imò Tamburin. inquit hoc procedere , & verum esse , etiamsi Religio Constitutionem Pontificiam habeat (prout plures Religiones habere afferit) qua prohibentur , quod descendentes ex dicto maculato genere non admittantur ad Prælaturas , & Dignitates Religionis cum ex eo , quod Constitutiones hujusmodi loquentes de Viris , tanquam odiosæ non extendantur ad fœminas , tum ex eo , quod

⁷ Abbatissatus , & Priorissatus Monialium , non sint Prælaturæ habentes ullam jurisdictionem , & huic ampliationi videtur quodammodo adhærere , Passerin. *in dict. cap. 40. num. 55. de elect. ubi* , quod nisi adsit consuetudo contraria , talis Constitutio sit odiosa , & de facili non extendenda , maximè in punto hujus quæstionis , in quo aliquo modo præjudicet fidei , & dignitati baptismi , ut filia innocens puniatur propter infidelitatem Parentum .

⁸ At oppositum tenent Pasqualig. *ad con- tr. Lauret. de Franch. p. 1. n. 662. ubi probabilius putat* , quod Constitutiones Pauli IV. Pro Ordine fratrum Minorum , & aliorum Pontificum aliis Ordinibus concessis , quibus cavitur , nè ex dicto maculato genere professi , admittantur ad Prælaturas , & dignitates Religionis compræhendant , & servandæ sint etiam quoad Moniales eorundem Ordinum ; ex eo quia in hac materia indifferenti , & in qua eadem militat ratio , masculinum

concipiat fœminum , ut de aliis similibus Indultis tradit quoque Donat. *prax. rer. regular. tom. 4. tract. 2. quæst. 18.* Et de concessione Indulgentiarum (quæ est dispensatio stricte interpretanda , ut ait Navar. *conf. 35. num. 3. & conf. 38. num. 1. de paenit. remiss. lib. 5.*) facta favore Regularium , quod extendatur ad Moniales ejusdem Ordinis , quamvis sint Ordinario subjectæ , docent Pelizar. *de Monial. cap. 9. num. 40. & 41.* Nicol. *in flosc. in verb. indulgentia num. 8.* & adest clara Constitutio Pauli V. 21. §. 18. Bullar. *tom. 3. pag. 203.* Et quod Constitutio Papæ , quæ fit respectu Religionis , & potest convenire Monachis , & Clericis regularibus , liget Regulares utriusque sexus , docet Donat. *de regular. tom. 3. quæst. 102. num. 4.* Unde hæc secunda opinio Pasqualig. ex suprà deducit jure verior , mihi magis arridet : & sic poterit talis Monialis eligi in Abbatissam , quoties in Religione , in qua professa est , non adsit statutum , sive Constitutio , quæ excludat à Superioritate descendentes ex maculato genere .

Et hæc de Censuris , quæ ad institutum , & complementum totius Operis formularii opportuna esse censui ; sub censura Sanctæ Matris Catholicæ Ecclesiæ , dicta sint satis : ad laudem , & gloriam Patris , qui est generans , Filii , qui est genitus , & Spiritus Sancti , qui est amborum nexus , amor amborum , & amborum charitas .

A P.